

Disputatio physica inauguralis de humani generis varietatibus : ... pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Johannes Stephenson.

Contributors

Stephenson, John.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1817.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n2uz9myp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

on the origin of the human race

DISPUTATIO PHYSICA

INAUGURALIS

DE

HUMANI GENERIS

VARIETATIBUS.

DISPUTATIO PHYSICA

HUMANI GENERIS

VARIETATIBUS

DISPUTATIO PHYSICA
INAUGURALIS
DE
**HUMANI GENERIS
VARIETATIBUS;**

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOHANNES STEPHENSON,
Britannus.

*— in varias leges, variasque figuras
Dispositum genus est hominum, proprioque colore
Formantur gentes. MANILLUS.*

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1817.

PHYSICA GENERALIS

PHYSICA GENERALIS

D. GEORGI BATHI 22. 7.

PHYSICA GENERALIS

PHYSICA GENERALIS

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
AUGUSTO FREDERICO,

DE

BRUNSUICO ET LUNENBURGO,
SUSSEXIAE DUCI,
INVERNESSIAE COMITI, ARKLONI BARONI,
EQUITI COMITI COHORTIS NOBILISSIMAE
AURATA PERISELIDE INSIGNIS, &c.

CURIO MAXIMO

REIPUBLICAE ARCHITECTONICAE

CONCLAVIS CONSOCIATI GRANDIS ANTIQUISSIMI ANGLIAE ;

PRINCIPI

CUJUS STUDIUM LIBERALE

AD OMNIA INSTITUTA LITERIS

PHILANTROPIAEQUE UTILIA PROMOVENDA

EUM ORNAMENTUM HUIUS SEculi

HUMANAEQUE NATURAE MAXIMUM REDDIDIT ;

HANC DISSERTATIONEM,

PIGNUS UTCUNQUE EXIGUUM

ADMIRATIONIS,

OB

EXISTIMATIONEM EJUS PUBLICAM

VIRTUTESQUE PRIVATAS,

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

JOHANNES STEPHENSON.

REPERTORIUM PRINCIPALIS
AUGUSTO FRIDERICO

REPERTORIUM ET INDEX

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

REPERTORIUM

JOHANNI BARCLAY, M. D.

DE ANATOMIA CHIRURGIAQUE

PRAELECTORI,

SOCIETATIS REGIAE,

ET COLLEG. REG. MEDICOR. EDIN. SOCIO :

ET

GEORGIO PEARSON, M. D.

DE MEDICINA PRACTICA

MATERIA MEDICA ET CHEMIA

PRAELECTORI,

SOCIET. REG. LOND. SOCIO,

ET NOSOCOMII ST. GEORGII MEDICO :

NECNON

EVERARDO HOME, BARONETTO,

NOSOCOMII ST. GEORGII CHIRURGO, ET

SOCIET. REG. LOND. VICE-PRAESIDI :

HOMINIBUS GENEROSIS,

QUORUM LABORES ADEO MULTUM

AD MEDICINAE PROGRESSUM SCIENTIAE

CONTULERUNT ;

PAGINAS INSEQUENTES,

UTPOTE TESTIMONIUM ANIMI GRATI

ET NUNQUAM IMMEMORIS BENEFICIORUM,

EX SCRIPTIS, ET PRAELECTIONIBUS EORUM PUBLICIS

ACCEPTORUM,

DAT DICATQUE

QUONDAM ALUMNUS

JOHANNES STEPHENSON.

2
So

The President and Council
of the Royal College of Surgeons
With the Authors Compliments

DISPUTATIO PHYSICA

DE

HUMANI GENERIS

VARIETATIBUS.

DIVERSITATEM imprimis magnam figurae et coloris quam genus humanum exhibet in regionibus orbis terrarum diversis, philosophi et rerum naturae contemplatores, ab antiquis scientiâ maxime imbutis magna ex parte neglectam esse, saepe mirati sunt. Notitia contracta et imperfecta, quam de generibus hominum diversis habuissent, nisi qui regionem terrae exiguan ipsi cognitam incoluissent, simul cum aliis rebus à proposito nostro alienis, talem effec-

tum produxit. Celeberrimi ex antiquis philosophis, rudi analogia inducti, de actione caloris frigorisque in materiam vivam et organis instructam, inde putaverunt, omnem varietatem formae et coloris ex effectu coeli tantummodo ortam esse. ARISTOTELES, HERODOTUS, et PLINIUS, colorem atrum Aethiopum attribuendo radiis ardentis solis inter se consentiunt. Ratio scriptorum fabularum inter antiquos huic rei mysticae solutionem praebere existimata est.

Hanc hypothesin varie modificatam, multi recentiores plurima doctrina ingenioque imbuti, variis temporibus affirmaverunt. Quorum argumenta ei faventia cum omni fiducia demonstrationis frequenter prolata sunt. Alii, contrà, credere volunt, quòd effectus coeli, cultûs, aut modi vivendi, ad humani generis diversitatem explorandam ex toto inhabilis sit. His igitur sententia est homines in suis formis conditionibusque variis originem a stirpibus diversis duxisse ; omnemque sortem a maximo naturae Opifice ad zonam sibi propriam maxime aptatam esse.

Ut leges hujus Academiae jure celeberrimae compleamus, methodum insequentem breviter delineandi varietates generis humani nobis proposuimus :

1^{mo}, Omnes species seu varietates particulares enumerare atque describere, in quas studiosi rerum naturae contemplatores genus humanum dividere voluerunt.

2^{do}, Mentionem facere de peculiaritatibus evidentissimis in forma externa gentium diversarum hominum.

3^{tio}, Quasdam praecipuarum diversitatum in natura delineare.

4^{to}, Rationem brevem diversitatum coloris inter hominum gentes dare ; et causarum, unde ortus sit, explicare conabimur.

PARS PRIMA.

DE FORMIS VARIIS.

Homo prae omnibus aliis animalibus imprimis enitet elegantia formae pulcherrimâ, ingenioque eximio. Homo quoque unicum animal est, quod vultum sublimum atque erectum ad sidera gerit. In hoc igitur ab omnibus simiis, cum quibus interdum permistus sit, longè abhorret. Corpus hominis bene formati vires, vigorem, et majestatem quandam exhiberet. Musculi ejus magni, firmi et bene expressi essent; lineae vultûs fortiter impressae, affectiones varias perturbationesque animi facile exhibentes. Caput globosum et rite positum super columnam vertebralem esse debet, cum fronte late et jure formata. Partes diversae trunci magnitudinem et similitudinem capiti colloque

aptatam haberent. Longitudo brachiorum ad angulos rectos cum trunco extensorum inter digitorum apices, distantiae inter capitis verticem et pedum plantas aequalis esset. Circuitus circuli ab osse pubi, ut centro ejus, cruribus et brachiis modice extensis, extremitates digitorum manuum et pedum tangeret. Distantiae ab malleolo interno ad patellam, ab hac ad symphisin pubis, et inde ad summum humerum, essent aequales *. Haec ad nostras ideas pulchritudinis accuratione mathematicâ descripta sunt. Cum autem homines oculis lustramus, multos mensurarum jam dictarum devios videmus: et raro quidem in eodem homine tales justas proportionem inveniemus. Inter omnes varietates generis humani plus minusve varietatis in singulis hominibus conspicimus. Omnis figuram, vultum, facultates et indolem animi sibi peculiaria habet, quae characterem suum constituunt, eumque ab aliis distinguunt. Diversitates formae et structurae sortium diversarum multo

* Vide Vitruvium de Architectura.

magis notabiles sunt, quàm quae inter singulos homines ejusdem nationis aut familiae observantur ; ideoque nobis demonstrant omnem sortem specie distinctâ, et non eâdem parentum binorum, esse exortam. Ex anatomicorum clarorum testimonio conjuncto differentiam in structura interna et organis aequae ac in diversitate formae et coloris veram esse patet. Structura Aethiopis examini magis accurato, quàm aliarum sortium, subjecta est. In hac stirpe frons angustior, et angulus facialis acutior, quàm in Europaeo ; foramen magnum longius retrorsum situm est ; latera capitis compressiora sunt, quod latitudinem visûs auget, atque ad soni pulsationes etiam quodammodo confert. Sinus nasales largi sunt, eoque sensus odorum variorum valde acutus est. Mentum haud parum recedit. Praeter haec in forma capitis, aliud in cerebro Aethiopis notabile est, quod Europaeo deest ; nempe, illi substantia medullaris subflavo colore, dum huic est albo. “ La
“ moëlle du negre étoit d’un jaune clair, tirant
“ un peu sur le gris, tandis que celle de l’Eu-

“ ropéen étoit d’une parfaite blancheur.”—
“ Celui du negre étoit d’un jaune noiratre, et
“ celui de l’Européen d’une couleur blanche.
“ Prolongeant ensuite la dissection jusqu’aux
“ grands ventricules du cerveau, j’ai coupé ho-
“ rizontalement les corps stries et les couches
“ des nerfs optiques. C’est la où la difference
“ a paru vraiment et étonnante, le corps strie
“ dans le negre étant presque de la couleur
“ brune d’une ecorce d’arbre, au lieu que celui
“ de l’Européen étoit couleur de chair pale, ti-
“ rant au cendre *.”

Nos ultra fines hujus dissertationis longius duceret, si omnes differentias minores formae et constitutionis inter stirpes gentesque hominum tractaremus; quarum de quibusdam infra mentionem faciemus. De paucis tamen earum varietatum, quam brevissime potuerimus, hoc in loco dicere satis sit. Aethiopi extremitates atlantales, et digiti longiores, quàm Europaeo sunt; extremitates sacrales exiliores, et latera versus flexae sunt; costae sunt magis cur-

* Vide Meckel, Mem. de l’Acad. des Sciences à Berlin, 1755.

vae. Aethiopi quoque rete mucosum spissum et colore nigro est ; deesse tamen apparet Caucasianis, aliisque coloris subalbidis, qui latitudinem sive zonam orbis eandem incolunt, et quorum mores, instituta, et habitus ex toto similia sunt. Hinc in coelo non niti potest. Neque videtur nobis saltem, argumentis analogicis aequo animo perpensis, quae tanto ingenio a Doctore PRITCHARD adducta essent, de proclivitate generis humani ad naturalem diversitatem pendere *. Omnis ratio, quae adhuc prolata est, obnoxia est objectionibus permultis, nisi quidem omni sorti sive stirpi distinctam esse speciem admittamus.

Si alias progenies hominum examini subjiciamus, varietates a forma solita abhorrentes haud minus notabiles reperiemus. Mongolensium caput pene quadratum est, et extremitates sacrales admodum breves et crassae. In multis gentibus barbaris aures magnae prominent, situm in capite altiolem habent, et interdum mobiles fiunt. In nationibus cultu ornatis motus

* Pritchard's Researches into the Physical History of Man, *passim*.

aurium per infantiam, caput arcte ligando, fortasse perierint. Americani indigenae, Hindooenses, Hottentotes, et Sinenses, et etiam Esquimauenses, manus nimis parvas pro reliquis corporis partibus habent. Bosjesmani, stirps barbara, quae regionem amplam Africae meridionalem incolit, diu pro figurae singularitate, vultûsque deformitate notabiles fuerunt. Hujus gentis singuli frequenter ad Britanniam allati sunt, et pro nummis in spectaculo exhibit. In utroque sexu partes corporis posteriores imprimis prominent, quod cum abdomine magno et spinae curvaturâ figuram literae S sectioni trunci dat. In foeminis Bosjesmanis nymphae adeo longae sunt, ut peni maris plurimum similes sunt. Hoc non arte efficitur; ut quidam viatores sibi persuaserunt: sed infantibus Bosjesmanorum a parentibus remotis et vitam degentibus, inter incolas Caffrariae australis attribuendum est. In prole eorum Bosjesmanorum, et in Europaeo, haec longitudo nymphaeum vix percipienda est *.

* Vide Barrow's Travels into Southern Africa.

PARS SECUNDA.

DE HUMANI GENERIS VARIETATIBUS.

Cum homines in genere lustremus, et cujusque propria conferamus, hoc maxime patet, quod omnis natio ab iis incolatur, qui quod ad formationem physicam et moralem, plus minusve discrepant. Haec varietas inter eos saepe eminet, ut admiratione quâdam et stupore mentem vel stolidissimam percellat, quae in formis minutioribus prope ad infinitum differt. Neque solum cuique genti sua propria sunt, sed etiam singulae peculiarem vultum et aspectum habent. Verum oportet, ut haec distinctio, quantumcunque apud singulos et familias percipi possit, exemplum communis digressionis putetur, et quae in scientia physica, hodie existente, ne possit quidem explicari. Diversa hominum genera a propriis formis colore aut structura prae-

cipue notantur, quae minus pendent a similitudine singulorum.

Celeberrimus LINNAEUS, in prima editione Systematis Naturae, omnes varietates generis, quod *homo* vocatur, in sex species instituit; Americanam nempe, Europaeam, Asiaticam, Africanam, Hyperboream, et Monstruosam. In secunda editione sui operis haec collocatio in quinque sectiones abiit, Lapponense, ut degeneri Tartarica specie, consideratâ. Hujus dispositionis princeps defectus in ordinando monstra inter varietates, et in usurpando distributionem hominis geographicam, ut basin discriminis, consistit. GMELIN continuavit, et in extrema editione profert, quod dispositionem cultiorem putat, nempe genus humanum distribuendo in quinque classes diversas, quae a coloris corporis superficie distinguuntur.

M. VIREY, qui angulum facialem, ut normam discriminis, considerat, distributionem hominis in duas classes superiores proponit. Prior eos complectitur, quorum angulus facialis a gradu octogesimo quinto ad nonagesimum est, ut

Arabes, Gentooenses, Celtas, Circassianos, Sinas, Mongoloenses, Kelmos et Lapponenses includit. Posterior comprehendit Malaeoenses, Caffroenses, Nitros, Hottentotoenses et Japonenses. Europaei in Celtas, Hungarios, Asiaticos, Russos et Lapponenses sub Mongoliensibus recensentur *. Huic collocationi et omni alii, quae a similibus principiis pendet, valde objici possit, quippe angulus facialis innumeras modificationes patitur in diversis hominibus ejusdem gentis et speciei. Cum varias collocationes prolatas a scriptoribus historiae physicae hominis penitus inspiciamus; illa quae a Professore BLUMENBACHIO memoratur, prae caeteris, mihi arridet. Secundum hunc physiologum celeberrimum, quinque sunt sectiones generis humani superiores; nempè, Caucasiana, Mongoliana, Malaya, Aethiopica, et Americana†. Sextam iis addere licet, quae a Leucothiopica apud quosdam auctores originem ducit.

* Vide Virey Histoire Naturelle.

† Vide Blumenbach De Gen. Hum. Var. Nat.

Ad unam alteramve harum varietatum incolae cujusque nationis referri possunt. Genus hominum, quod in varietate prima vel Caucasiana inclusum, supremum locum inter homines sine dubio tenet. Ei pertinent omnes incolae Europae, et quaedam gentes Asiae occidentalis, Africae Septentrionalis, et Abyssiniae; Lappo-
nensibus, caeterisque gentibus hyperboreis exceptis. His omnibus, ut generaliter dicam, eadem prope statura est, idem color, eademque generalis lineamentorum similitudo. Color cutis tantum variat plus minusve a coeli expositione, quod saepe notari possit de incolis ejusdem terrae tractûs aequae ac diversarum gentium. Distinguuntur statura procera, et colore pulchro; cutis alba est, quae apud incolas regionum australium in colorem subfuscum abiit: genae rubro tinguntur: iris est caerulea, caesia, aut fusca: crines longi rectique sunt; colores varios, fuscum nimirum, nigrum, rubrum, aut linteum, representantes: caput est valde symmetricum et globosum: facies a coronali ad aspectum basilarem ovalis: frons moderate

expansa : nasus longior est, inclinans ad aquilinum et ad basin angustus : labia tenuia sunt, et praecipuè inferius, quod leniter versum. Dentes anteriores cujusque faciei in perpendiculum positi sunt : mentum plenum et rotundum est. Species hujus varietatis pulcherrima est apud incolas superiorum partium regionis, quae est inter Asiam et Europam, Georgianos nempè, Circassianos, aliasque gentes, quae loca montana et regionem Caucasianam circumjacent. Apud multas gentes ad septentrionalem veteris continentis regionem, pleraeque varietates suprà dictae mirum in modum existunt. Hoc potissimum patet, ut fertur, inter Germanos, Danos, Norwegios, et Islandicos. Harum regionum incolae generaliter sunt temperamento sanguineo : crines sunt molles, lintei, flavi, aut rubri : oculi caerulei aut candidi sunt. A veteribus hi non raro memorantur.

Caerulea quis stupuit Germani lumina ? Flavam
Caesariem, et madido torquentem cornua cirro ?
Nempè quòd haec illis natura est omnibus una.

JUVENAL.

Caucasiana vel Arabo-Europea natio dividi possit in tres inferiores gentes seu varietates, solum a differentiis coloris superficiei distinctas. Quarum prima carnea colorata gens nominatur, includens duas minores sortes, candidam nimirum et fuscam: caeterae sunt subfuscae, et candidae fusco mistae *.

I. Prima gens inferior carnea colorata,

Anglici, Galli, Germani, Suedi, Dani, Islandi, Circassiani, multaeque aliae sortes.

II. Secunda gens inferior subfusca ad flavum inclinans.

1. Hispani, Batavi, Lusitani, quique Creoles vocantur, Indiam Orientalem, Africam, et promontorium Bonae Spei habitantes.

2. Anglici, Gallici, et Hispanici Creoles, Americam Australem insulasque Canarianas incolentes.

3. Indigenae, qui provincias australes Americae Septentrionalis occupant.

* Aud. Prael. Prof. Jameson:

III. Tertia gens inferior candida fusco mista.

1. Arabo-Bedouini.

2. Mauritani.

3. Abyssiniani.

Gens Caucasiana in numero secunda est, terraeque partem valde latam occupat.

Secunda major varietas generis humani Mongolica est, aut quae interdum vocata est gens veteris Orientalis. Sub hac stirpe includantur reliqui Asiatici, qui degunt ad orientem maris Obi et Caspiani, Malayis exceptis, ad extremitatem peninsulae extra Gangem spectantibus; sors Finnica sub Europae septentrione; Laplandica, et aliae, quae regiones Americae glaciales a fretis Beerhing ad Greenland usque incolunt. Tribus Mongolici longe lateque extendunt, distinctio tamen sua physiognomica ubique discerni possit. "I have observed," inquit CHARDIN, "that in all the people from
" the east and north of the Caspian Sea, to the
" peninsula of Malacca, the lines of the face
" and the formation of the visage are the same.
" This has induced me to believe, that all these

“ nations are derived from the same original,
“ however different either their complexions
“ or their manners may appear *.” Inter om-
nes incolas sub hac varietate color est oleagi-
nus, aut subsimilis cortici limonis siccato; cri-
nis est niger, directus, et rarus; omnibus bar-
ba est, quod olim denegatum; caput valde
compressum, et subquadrangulare; supercilia
densa et hirsuta; frons fere demissa; spatium
inter genas latissimum et planum; genae ip-
sae extrorsum prope globosae; maxillae pro-
minentes; nasus parvus et simus; nares an-
gustae; oculi parvi et fusci ad nigrum incli-
nantes, ad angulum nasalem elliptici, et paulo
in obliquum extrorsum directi; apertura pal-
pebrarum angusta; mentum acuminatum et
antrorsum projectum; oculi magni; et labia
crassa. Sinenses, Tartari, Japanenses, et incolae
Cochin-Chinae, peninsulae Gangis, Tonquinii,
Siami, &c. gentes sunt praecipuae quae in hac
divisione generis humani includuntur. Haec

* Vide Chardin's Travels in Persia.

classis, secundum BLUMENBACHIUM, complectitur Lapponenses, Esquimaenses, incolas de Greenland, aliosque intra circulum arcticum incolentes. Sed DUMERILIUS, LA CEPEDE de varietate distincta sub nomine varietatis Hyperboreae mentionem fecerunt*. Hae miserabiles sortes ab aliis differre videntur, praecipue in magnitudine; quippe quae statura brevi et colore nigro sint.

Malayi tertium genus hominum constituunt, quorum cutis est fusca, nuci castaneae similis; crinis niger et mollis, crispatus et abundans; caput paulo angustum; frons arcuata; ossa parietalia prominent; ossa malarum non larga sunt, ut in varietate praecedente; nasus plenus latusque versus apicem; os amplum; maxilla superior paululum prominens.

Haec varietas multos incolas insularum Maris Australis complectitur, veluti Philippinarum, Moluccarum, et Sundarum, plerosque nationes

* Vide Geographie Zoolique.

Novae Bataviae, et fortasse quasdam sortes insulae Madagascari.

Quarta major divisio est Aethiopia : horum propria in vultu externo, quibus haec natio nigra distinguitur ab omnibus aliis, ita eminent, ut putatu difficile sit, quomodo considerentur, nisi species distincta, quae a nigris parentibus originem duxit. Sub hac divisione comprehenditur classis hominum valde numerosa, qui Africae continentis partem maximam incolunt. Formas admodum distinctas et constitutionem insignem prae se ferunt. Aethiopes notabiles sunt ob cutem nigro colore profundo mollem et levem ; crinis niger est, laneus, atque brevis ; caput angustum et in lateribus compressum ; oculi prominentes et maximè avellani ; tunica adnata subfusca et lutea ut in ictero accidit ; ossa malarum projecta, non ad latera, sed antrorsum ; dentes mirum in modum candidi, et incisores maxillae superioris antrorsum prominent ; faciei superficies major est pro corporis magnitudine, quàm in varietate Caucasianâ. Labra nigrorum crassissima sunt et tumida,

praesertim inferius, et colore roseo-purpureo tincta : nasus valde simus latusque ; oculi tamen cornea parva est, magisque convexa, quàm in aliis hominum gentibus ; aures se multum a capite projiciunt ; mentum recedit. A quibusdam fertur sanguinem esse nigriorem magisque glutinosum, quàm in aliis ; sed contra facile probetur. Eorum exhalatio per cutem foetorem emittit permagnum peculiarem, praecipuè apud incolas de Congo, qui sunt horridissimi gentium Africae. Haec varietas regionem occupat australem a Zahra seu Deserto Magno ; complectitur autem omnes alios incolas veteris continentis, nisi qui sub varietate Caucasianâ includuntur.

Propria maximè digna notatu, et quae distinguunt aborigines novi mundi a varietatibus suprà dictis, sunt cutis colore cupreo, interdum variè ad fuscum inclinans ; crinis niger, densus, et rectus sine ulla crispatione ; barba rarior sed non prorsus absens, ut quidam veteres putabant ; facies lata et rotunda, vertex saepe arte deformatus ; oculi parvi, nigri, et in orbitis de-

pressi; nasus quodammodo planior; ossa malarum lata et rotunda. Americana gens quod ad formam externam magis affinis est Mongolicae, quàm ulli alii varietati. In statura, Americo-Indianus haud multum a varietate Caucasiana differt. In sensu morali haec est fortasse inferior omnibus aliis hominum nationibus. Ferrox vultu; moribus crudelis; in ulciscendo implacabilis. Omnes incolae hemisphaerii occidentalis, exceptis Esquimauensibus regionem Americae maximè hyperboream incolentibus juxta circulum polarem, in hac divisione includuntur.

Sub-classes earum trium varietatum diversarum admodum multae sunt. Quod autem a scriptoribus geographicis de iis, et notitia earum characterum physicorum adeo vaga et imperfecta sunt, ut ne enumerationem quidem earum conati fuerimus.

De alia varietate generis humani vultu fortasse magis singulari, quàm ulla alia, nunc disserere licet. In qua cutis niveo colore est, aut similis ei recenter mortuo; crinis capitis, su-

perciliorum, aliarumque partium corporis niveus est, cutis colorem referens, et serica textura: iris est colore^a pulchre roseo, et organa visûs stimulo sibi proprio adeo mobilia, ut Albinus ne possit quidem aspicere, dum clarius lucet. Hinc fit ut interdium dormiat, et raro sedem reliquit, nisi noctu. Constitutio Albina, ut fertur, multo mollior est, quàm ulla alia in eadem regione. Haec rara varietas hominum fuisse veteribus nota videtur, sub nomine *Leucoethiopes*, sive *Albi Nigri*. Apud hodiernos, qui eos primus memorat, fuit WAFERUS * ; a quo ita describuntur, qui inter Indianos Darieni colore cupreo tinctos non raro appareant. Indagationibus multo recentioribus repertum est, quod haec varietas non huic regioni restricta est, sed in multis aliis conspicienda. Plerique in Africa degunt; alii, sed pauciores in America; alii nonnunquam in Europa, insulis Javae, et Ceylonii.

Multae res in historia hujus varietatis faciunt,

* Vide Wafer's Account of the Isthmus of Darien.

ut credamus non esse distinctam et indigenam, sed merè singulos a parentibus degeneres ; aut, quod magis probabile est, propria hujus ad conditionem corporis morbidam referri posse, quae fiet haereditaria, ideoque a parentibus ad liberos transeat per multas generationes.

Color fit medius ubi liberi ex parentibus varietatum diversarum nati sunt. Omnes primi tribus originem, ut verisimile est, duxerunt, a generibus sui similibus. Hinc credere oportet, fuerint in principio tot gentes diversae, quot sunt hodie varietates primitivae. Nuptiis eo modo inter se factis, lineamenta singulis gentibus propria tandem evanescunt.

PARS TERTIA.

DE STATURAE DIVERSITATE.

LONGITUDO sive altitudo corporis humani multum variat in diversis singulis et inter diver-

sos tribus hominum. Historia omnis seculi multas miras narrationes praebet de nanis aequae, ac de hominibus ingenti magnitudine, et viribus. HOMERO narratur de genere pigmaeo cum gruibus certante: et alii veteres scriptores de iis loquuntur, et regiones, in quibus habitant, saepe describunt. Hi rumores, ut bene cognitum, fabulosi sunt, et fide minus digni: et Pigmaei apud veteres nihil fuerunt, nisi simiae caudatae. Nani in plerisque regionibus merè putandi sunt ut varietates fortuitae; nati sunt plerumque ex parentibus solitae magnitudinis; et raro speciem suam continuant. Nanus minimus, de quo certiores facti sumus, in rebus Gestis Regiae Academiae Scientiarum apud Stockholm, in anno 1745, narratur. Hic nanus, cui nomen erat Bebè, altitudinem digitorum transversorum triginta et trium vix attingerat, cum mortuus est, annos viginti duo natus. Inter gentes ob minorem staturam conspiciendas, Lapponenses, Esquimaenses, et Bosjesmani sunt. Horum primi vix quinque pedes alti excedunt; multique non amplius quàm

quatuor ad quatuor cum dimidio. Esquimaenses, et multi incolae harum regionum circum arcticum circumjacentium multo breviores, quàm sunt Europaei. Bosjesmani Africae australis plerumque sunt staturâ brevissimâ. Virorum altissimi nunquam attigerunt mensuram amplius, quàm pedes quinque et novum digitos : foeminarum altissima nunquam excessit quatuor pedes cum quinque digitis transversis. Praeter has, aliae gentes sunt multae inferiores caeteris, quae hanc terram incolunt. L'Abbé LA CHAPPE, dum in Siberiae partem interiorem iter astronomicum faciebat, per tractum terrae transibat, ubi incolae, mares aequae ac foeminae, quatuor pedes in altitudine non excedebant. In partibus quibusdam insulae Madagascari, si fidem M. ROCHON habeamus, incolis manus longissimae sunt, et hi in magnitudine et corporis elegantiâ multo iis cedunt, qui ad nostrum tempus in ea parte mundi existere reperti sunt. In regionibus juxta circulos polares, ubi frigus per maximam anni partem admodum dominatur, res necessariae ad victum quotidianum

paucae sunt, et vitae commoda difficilia paratu. Putatum est minorem staturam incolarum naturae victûs et rigori coeli attribuentam esse. Hoc tamen inspiciendo fide nostrâ indignum est. Unum plane huic objici potest, nempe, quod exempla sint in calidis regionibus hominum minore staturâ. In partibus etiam terrae, ubi frigoris asperitas magna est, ac in quavis parte *Greenland*, ubi incolae eadem pericula et privationes patiuntur, homines videre licet altos, robustos, et bene formatos. Hi sunt populi Norwegiae, Finniae et Islandiae.

In omnibus regionibus, et in omni seculo, quidam staturâ et magnitudine insignes inveniuntur. Dum gradus hominum ascendimus a breviori ad altiore, seriem videmus a digitis triginta tribus transversis ad decem pedes; sed medium est a quinque pedibus et sex digitis ad quinque pedes et octo digitos. A magnitudine et ratione debitâ discessionem in historiis omnium gentium memorantur. In Scripturis Sacris de hominibus mentio fit, qui staturâ et viribus mirum in modum praediti sunt. De sin-

gulis magnitudine egregiâ veteres Romani ac Graeci scripserunt. JULIUS CAPITOLINUS dicit MAXIMILIANUM, imperatorem Romanorum, fuisse octo pedes cum dimidio altum. Gigas, cui nomen est GALBA, ab Africa ad Romam adductus, et ibi pro spectaculo exhibitus, CLAUDIO CAESARE regnante, decem pedes in altitudine prope attigerat. Statura ORESTIS undecim pedes cum dimidio fuisse dicitur; et PROESEUS, quidam Graecus sophista, novem pedes fuisse fertur altus. Hodiernis temporibus innumera fere exempla proferuntur de hominibus qui staturae ac magnitudinis tantum attigerunt, quantum mundus in quovis priore seculo praebere potuerit. Gigas, qui apud Rouen in anno 1735 exhibitus est, a M. LE CAT dicitur fuisse octo pedes et aliquot digitos altus. PLOTT, in historia comitatûs de Stafford, exemplum hominis memorat, cui septem pedum et dimidii altitudo fuit. Gigas Hibernus, O'BRIEN, qui in variis locis Britannici imperii spectaculum sese prae-buit, septem pedes et pollices decem fuit altus. Juvenis, qui venit a comitatu de Huntingdon,

et in metropoli exhibitus est, natus decem annos et septem, octo pedes in altitudine prope attigerat. Huic soror erat staturâ haud paulo brevior. Multa alia exempla hominum magnitudinis giganteae proferri possent, sed satis sint quae dictae. Singuli gigantes plerumque nati sunt mediocri staturâ ; repentissimè crescunt ; et quam celerrimè dilabuntur. Gigantes raro diu vivunt ; plerumque languidi sunt, debiles ; et rarissime virium corporis aut animi plurimum habent. Tales homines sine dubio ne considerari quidem possint, nisi species monstrorum. Non nobis est necessarium ut argumentum de nostris majoribus repellamus, qui fuisse magis robusti feruntur ; sed tantum historiâ fabulosâ, et nativâ proclivitate hominum ad praeterita magnificanda, aut ab animalium ossibus ingente formâ ex terrae visceribus defossis. Sic STRABO mentionem facit de sceletto hominis invento prope oppidum in Africa sex cubitos longo ; et PLINIUS sceleton in Creta ejusdem propè magnitudinis detectum esse, ex monte diffisso motu terrae, nos certiores fecit. Haud est dubitan-

dum, quin essent reliquiae quadrupedum, et minimè humani generis. Mediocris statura hominis, ut veri est simillimum, eadem est nostris temporibus, ac annis abhinc tribus millibus. Cadavera aromatis condita, et in cellis sepulchri servata in Ægypto, plane demonstrant homines seculorum mundi antiquissimorum, eos in sequentibus, quod ad staturam et magnitudinem, nequaquam excessisse.

Praeter haec exempla insolitae staturae, magna proles in orâ australi Patagoniae existere reperta est, quae nationibus Europae haud parum procerior est. Haec primo memorata est a MAGELLANO, et aliis, qui ad hoc littus post eum appulerunt; qui omnes idem confirmant. CLERKIUS, qui praefecti BYRONI ad hunc mundi terminum comes fuit, staturam hominis communem ibi fuisse a pedibus octo ad novem, aut plures, memorat. Sed, qui melius accuratiùsque scrutati sunt, ii affirmant mediocrem staturam sex pedum non praetergredi. Rumores de gentibus Indiae, Australis Americae a primis navigatoribus lati, sine debita auctoritate sus-

pici, et ab imaginatione vivida gigni, videntur.

“ Whom often fancy, ludicrous and wild,
“ Soothed with a waking dream of houses, towers,
“ Trees, churches, and strange visages expressed
“ In the red cinders, while with poring eye
“ He gazed, himself creating what he saw.”

Causam talium hominum singularium assignare difficillimum, si non prorsus impossibile esset. A veritate tamen haud multum abest, ut credamus eos gigantes, si nomine digni sint, parum commercii cum aliis hominibus habere potuisse : hinc nobis licet eorum magnitudinem a diversitate primitivâ pendere.

PARS QUARTA.

DE COLORIS DIVERSITATE.

COLOR cutis notam ex omnibus maxime conspicuam constituit, quâ gens una hominum ab alia distinguatur. Apud quasdam nationes, color ejus parum variat, nisi quod ex constitutio-

ne peculiaritatibus aliquibus oriatur. Interdum, homines colore cutis longe absimili, et characteres physicos prorsus diversos possidentes, eandem regionem habitare, et iisdem coeli mutationibus per multos annos subjectos fuisse, absque mutationem coloris ullam evidentem subeundo, reperimus.

Priusquam causas coloris varii inter homines scrutari incipiamus, oporteat breviter structuram, situm, et functiones integumentorum communium describere, in quibus est sedes coloris. Integumenta, cortici arborum similia, ex tribus distinctis constant, nempe, epidermide sive cuticula, corpore mucoso, et cute vera; simul cum appendicibus, crinibus nimirum, et unguibus; quae totum corpus cingunt. Praeter partes teneras atque delicatas officium tegendi, cutis alia oeconomiae animali utilissima perficit. Organon constituit, quo qualitates corporum externas sentiamus; dum muneribus maximi momenti, scilicet, exhalatione et absorptione, perfungitur.

Cuticula sive epidermis tenuis est, et videtur

paucis aut nullis organis instructa, laminamque externam compaginis cutis facit. Partibus subjacentibus firmiter adhaerescit; ab iis tamen aqua bulliente aut vesicatoriis facile separetur. Cum in hoc statu diligenter inspicimus, videtur prorsus pellucida, et colore leniter subflavo cinereo est. In senectute partem pelluciditatis amittit, densior et inaequalior in structura evadit. Experimenta recentia ostendere tendunt eam nec laminas, nec poros, nec fibras continere *; sed plerumque descripta est, ut ex lamellis et concretionibus constans. Cuticula multum differt quod ad crassitudinem in locis corporis diversis. Est tenuissima et delicatissima in ore, naribus, aliisque cavis, quae commercium habent cum superficie. In palmis et plantis crassissima est, ubi pressui rerumque tactui durarum subjicitur. Haec crassitudo vero non prorsus a pressura pendet, ut ab hoc evidens fit, cuticulam earum partium in infantibus crassissimam esse. In maribus spissior

* Vide Gordon's System of Human Anatomy.

quàm in foeminis est. In aspectu peripherali multis lineis aut sulcis inter se parallelis imprimitur. Cuticula vim resiliendi parvam possidere videtur, et sensu, vasis sanguineis, nervis et absorbentibus, ex toto destituta. Perforatur finibus vasorum exhalantium, absorbentium, et ductuum glandularum sebacearum. Usus hujus membranae princeps est impressiones nervorum extremitatibus datas moderari; sed quo modo renovetur, aut regeneretur, quum submota esset, parum adhuc cognitum est.

Ungues et crines appendices cutis constituent. Priores tantum prolongationes cuticulae sunt, eamque in omni re repraesentant, duritiâ excepta, ideoque non amplius describendi sunt.

Crines ex radicibus bulbosis in substantia cellulari sedentibus sub cute vera nascuntur. Singuli ex origine in hac substantia involvuntur in vagina longa, quae extrorsum abit, atque in itinere per cutem crines involvit. Crinis microscopio subjectus constare ex partibus duabus invenitur, canali nimirum cylindrico, et vagina externa. Quorum prior parte medullari

plena est, reti mucoso in aspectu et colore similis. Ab hac medullari substantia in centro color crinis derivari videtur; hinc niger est Æthiopi et Malayo, et linteus hominibus subalbidis.

Inter cuticulam et cutem veram situs est mucus peculiaris tenax, anatomicis cognitus sub nomine corporis sive retis mucosi. Honor inveniendae hujus rei MALPIGHIO debetur, qui circiter medium seculi decimi septimi primus eam bene descripsit. Constare videtur ex fabricâ delicatissimâ humoris mucosi plenâ, quod ad spissitatem in locis corporis diversis variâ. Chemicæ ejus dotes prorsus incognitæ sunt; cum nunquam adhuc, quantum scimus, analysi chemicæ subjectus sit. Usus ejus est papillas nervosas cutis veræ humiditas tenere, ut functiones suas rite perficiant. In hac substantia mucosa, ut inter omnes constat, color corporis humani sedem capessivit. Æthiopi niger est; aliisque gentibus varius, cumque colore cuique proprio consentit. In hominibus pulchris corpus mucosum existere a Doctore GORDON ne-

gatum est, qui nunquam id, cum esset colore subalbido, detegere potuerit in incolis Britanniae, aut in aliis nationibus similis coloris *. Quid corpus mucosum perdit, id colorem cutis mutat pro tempore, modo longiore, modo brevior. Hoc saepe observatum est in Æthiopibus et caeteris gentibus coloris fuscii, quando integumenta submota, aut aliter mutata essent vulneribus, aut ustione, aut aliis rebus. Scriptum est quoque similes mutationes accidisse edendo pisces venenatos †.

Cum color niger corporis mucosi causa est nigritudinis Æthiopis, quaerere momenti esset quo ex fonte haec oriatur. Quibusdam physiologis causam hujus coloris proximam explicare placuit, ad mutationem chemicam, quae in substantiam inducta esset operatione affinitatum chemicarum, decurrendo. Professor BLUMENBACHIIUS hydrogenium carburettatum supra modum inesse hominibus coloris subnigri existimat; quod, cum praecipitatum esset in mucum,

* Vide Gordon's System of Anatomy.

† Vide Clark's Medical Tracts.

cum eo conjungitur. Alii conjecturas quoque, sed nihil ad rem, variis temporibus protulerunt.

Aliquid dicere de cute vera vix opus est, quoniam multo minus ad propositum nostrum pertineat, quam priores: pauca igitur sufficiant. Membrana tertia seu cutis vera, densa, elastica, et vasculosa est; cujus superficies peripheralis eminentiis parvis innumeris tegitur, quae, stimulo applicato, sese erigere possunt; et partibus subjacentibus ad centrum versus adhaerent. Ex fibris varie dispositis constat cutis, vasisque sanguineis nervis et absorbentibus copiosè instructa. In locis diversis corporis spissitas ejus multum variat. Tenuissima est, ubi partes sensu acuto praeditas obducit, veluti, labra, palpebras, faciem, &c.; crassissima autem est in capite, palmis, et plantis. Poros habet innumeros, qui crines transire patiuntur. Superficies ejus humida corpore mucoso, et humore oleoso ex glandulis sebaceis effuso, tenetur.

In tantum fuit necesse, ut de structura et functionibus membrarum generaliter corpus investientium praefemur; nunc de causis va-

rietatis colorum inter varias gentes disserere liceat. Plurimae theoriae saepe propositae sunt, ut insigne phaenomenon de varietate coloris in genere humano, agentibus causis naturalibus, clarè explicetur. Sed quamvis de hoc multum theoreticè agitatum et scriptum sit, et usus magni momenti oeconomiâ humanâ sit, sunt paucae res in philosophia, de quibus tam magna obscuritas praevaleat.

Diu valuit opinio et apud philosophos et vulgus, genus humanum, ut est videri in regionibus terrae tropicis, nigerrimum habuisse colorem et aspectum candidiorem factum esse, ut ab aequatore ad polos receditur. Ab aevo ARISTOTELIS usque ad medium seculum proxime exactum haec sententia recepta fuisse videtur; cujus veritas a celeberrimo et colendo Domino BOYLE, primo fuit in suspensionem reducta.

Raro de physiologia tam acriter disputatum est, quàm de omnibus varietatibus coloris in diversis gentibus notatis, quae aut a coelo tantum, aut cum aliis rebus externis conjuncto factae sunt. Rationes huic allatae ex eo facto

bene noto deductae sunt, quòd color Europaei vel pulcherrimi ad solis ardorem et aëra expositi fuscus fiat. Agricolae in nostra regione aëris inclementiae maximè objecti, sunt aliquanto fusciores, quàm qui ob naturam officii ab acri ejus asperitate protegantur. Barbari incolae regionum calidarum, quorum habitus, et via vivendi faciunt, ut fere semper in aperto Jove vivant, colorem multo nigriorem acquirunt. Loci celsiores, caeteris paribus, pulchro colori magis favent, quàm planities ; et apertum rus in candore efficiendo longe antecellit urbi confertae, cujus aër fuligine onustus, et plurima noxia exhalatione praegnans. Europaei in calidis regionibus diu manentes, cum signis effectus altae temperiei colorem in nigriorem reddendo, in patriam revertuntur.

Non possumus, quin his rebus assentiamur ; sed, quae ex iis illatae sunt ab aliis, qui affirmant colores proprios diversarum varietatum in genere humano a coeli impetu effectus esse, sine ullo fundamento evidenter existunt. Qui hanc hypothesin tuentur, colorem nativum vel

indigenum speciei humanae cum varietatibus, quae a rebus adventitiis oriantur, confudisse videntur. Quascunque mutationes coelum, mores urbani, aut vitae cultus, parentibus induxerint, hae ad minores nunquam traduntur. Color variorum corporis organorum in plerisque animalium sub ortum, plurimùm differt ab eo, qui aetate provectiore praenitet. Color cutis ad partum in humano corpore semper candidus, aut subpallidus cum roseo mistus, ratione ne habita quidem ad parentem colorem. In Arabo-Europaeo color usque ad extrema vitae spatia nullam fere mutationem subit, nisi quae acciderit, cum radiis solis plus minusve expositus sit. Fuscus color cutis ab hoc lumine effectus nequaquam diu durat, et plerumque ex toto evanescit, simul ac causa ejus excitans sublata est. In caeteris varietatibus res longe aliter sunt. Harum proles pulchra nata est; sed color cutis paulatim sese ostendit, et paucis diebus post partum color incipit parentes singulatim assimilare. Sic, gratiâ exempli, liberi Americo-Indiani in omni coelo

candidi nati sunt, sed paucos post dies rubri cupro similes fiunt. Liberi Nigrorum eodem colore candido in lucem editi sunt, sed paucis diebus post partum colorem progenitorum sub-fuscum, aut nigrum, induunt: dum color Europaei in omni regione cum parva mutatione idem remanet. Testimonia omnium recentiorum, qui peregre iter fecerunt, in hoc consentiunt, et idem confirmant. Don ANTONIO ULLOA nos certiores facit liberos in Guaquil natos ex Hispanis parentibus admodum pulchros esse *. Liberi Mauritanorum, qui incolunt regionem multis gradibus quàm nostra calidiorem, per infantiam insigniter pulchri sunt †. Progenies hominum candidorum in India suborta, prope similis est ei nostra in patria. Narratur etiam similiter a viatoribus summâ scientiâ imbutis de aliis terrae partibus. WINTERBOTTOMIUS mentionem facit de liberis Nigrorum, qui non nigri nati sunt, sed colorem iis proprium quibusdam diebus post partum susceperunt ‡. Haec mutatio

* Vide Ulloa's Voyage to South America.

† Vide Dr Shaw's Travels.

‡ Winterbottom's Account of Sierra Leone.

constans in gentibus coloris ad atrum inclinantis in omni coelo, situque vitae, clarè manifestat nequaquam altae temperiei attribuendam esse.

Huic hypothese id quodammodo favet, quod asseritur, colorem generaliter fieri magis fuscum vel nigrum ut meridionali parte Europae iter facimus; et, cum aequatorem appropinquamus, hanc mutationem magis etiam conspiciendam esse *. Exempli gratiâ, color Gallorum nigrior est quàm Suediensium, Anglorum et Germanorum: Italis, Lusitanis, et Hispanis color est nigrior seu fuscior adhuc; dum populi australium partium colore proprio ab incolis borealium plane distinguuntur. Porro, indigenae quarundam partium Africae et Asiae ardori solis verticalis continuo objecti, nigerri mi sunt. Denique Galli, et Hispani medium locum inter incolas Europae septentrionalis et Africae obtinent: ex quo colligitur hanc varietatem coloris a coelo tantummodo effectam esse *.

* Vide Buffon's Natural History apud Smellie.

Si demonstrari potest effectum coeli adeo universalem ubique existere in omni seculo et regione, et apud omne genus hominum, utcunque per faciem terrae dispersum, jure concludi posset, coelum, aliis rebus absentibus, aptum fore ad omnes varietates coloris proferendas, quae inter homines notentur. Sed agro naturae lustrato, res prorsus diversae prae se ferent; et multa huic legi adversa invenientur, quae hanc hypothesin omnino pessundant. Multa exempla de hominum generibus, colore maxime nigro, frigidissimas regiones terrae incolentium, memorare possumus: multaeque tribus coloris candidi in regionibus calidissimis inter tropicos degunt.

Barbarae gentes, quae regiones incolunt frigidissimas et incultissimas circum polares circulos utriusque hemisphaerii, colorem habent subnigrum atro similem. Lapponenses, Samoidenses, incolae de *Greenland*, Borandini, populi Novae Zemblae, Kamstchatshenses, incolae de *Beerh-ing's Straits*, de *Nootka* et *William's Sound*, quod ad staturam et colorem alii aliis similes

sunt. Hae gentes hyperboreae ad genus hominum Mongolensium pertinent, omniaque habent ei classi speciei propria. Capita eorum praeter consuetudinem magna sunt; facies latae, et statura potius brevis, et infra communem magnitudinem est; crinis niger, hirsutus, et rectus; oculi parvi et nigri; et cutis colore oleagino fusco est. Incolae earum regionum se a frigore maximo coeli, cui semper objiciuntur, vestimentis ex pellibus phocarum et cervi tarandi confectis defendunt. In exiguis tiguiriis fumeis vivant; et corpora fere immunditiâ oleosâ teguntur. Quoniam color corporis fuscus aut subniger non regionibus calidis peculiaris est, sed, e contrario, in locis mundi frigidissimis adhuc exploratis inventus est, patet igitur non in coelo colores hominum varios inniti. Qui coeli affectibus in constitutionem humanam colorem attribuerunt, hi hoc objectum depellere conati sunt, illud asserendo, quod a factis bene constitutis aequè differat; nempe, frigus extremum, praesertim cum inediâ et immunditiis et fame adjunctum, eundem effectum

incolis regionum borealium, ac ardorem solis incolis meridionalium, inducere. Si frigus cum paupertate, et incuriâ munditiei ad corpus necessariae conjunctum, effectum adeo magnum haberet in constitutionem earum tribuum; a *fortiori* expectare oportet, ut mutationem similem incolarum Norwegiae, Suediae, et Islandiae inveniremus. Hoc tamen sese ita non habet. Norwegienses et Suedienses oculos caeruleos, colore subalbido crinem, et caetera proli Caucasianae propria, ad summam perfectionem habent. Temperies ad medium frigida, et hiems, quae utpote severa et diutina, facile illi caeterarum regionum pene omnium praecellit, coelo Islandiae sunt. Incolae tamen hujus insulae praeter frigus maximum, et hiemis durationem, proceri sunt, et bene conformati; color eorum imprimis candidus est, et foeminis saepius floridus; crinis fere semper linteus, et raro crispus *.

Regio imprimis frigida et deserta Terrae del Fuego, coelum orbis terrarum maximè inhos-

* Vide Sir Geo. Mackenzie's Travels in Iceland.

pitum, victumque parcum miseris incolis prae-
bet, quibus color cutis similis est rubigini ferri
oleo mistae *. Sunt statura brevi, admodum
deformi, et crine longo nigro instructi: pelli
phocae solute super humeros impositâ vestiti,
conchiliis, carne cetorum, et vacciniis palustri-
bus vescuntur.

Observationes de HUMBOLDT de Indianis A-
mericae Australis, qui montes altos novi mundi
habitant, argumentum generale confirmare ten-
dunt, quòd coelum parvam aut nullam potesta-
tem ad varietates coloris efficiendas habeat.
Hic celeberrimus peregrinator Indianos nativos
loca montana laterum Andum habitantes repe-
rit esse colore fusciori vel nigriore, quàm qui
campum incolunt. “ The Indians,” inquit
HUMBOLDT, “ who inhabit the most elevated
“ plains of the Cordilleras of the Andes, and
“ those who under the 45° of south latitude
“ live by fishing among the islands of the Ar-
“ chipelago of Chonos, have as coppery a com-

* Vide Cook's Voyages.

“ plexion as those who, under a burning sun,
“ cultivate bananas in the narrowest and deep-
“ est valleys of the equinoxial region.” Ad-
dendum, continuat idem auctor, “ That the in-
“ habitants of the mountains are clothed, and
“ were so long before the conquest, while the
“ Aborigines who wander in the plains go quite
“ naked, and are consequently always exposed
“ to the perpendicular rays of the sun. I could
“ never observe, that in the same individual
“ those parts of the body which were covered
“ were less dark than those in contact with a
“ warm and humid atmosphere *.”

Tribus incultae ex insula *Van Diemen's* dictâ prorsus atrae sunt, cum crinibus lanæ similibus: et quaedam tribus in campis sterilibus *Novae Bataviae* colore simili sunt, et ex toto nude vivunt.

Alia exempla proferri possent, quæ argumentum, de quo nunc sermo est, sustineant, atque probent, omnes nationes colore fusco ad

* Vide Humboldt's Political Essay on New Spain.

nigrum vergente imbutos, non esse incolas regionum calidarum; et ex consequentia sequitur calorem non esse causam coloris varii in atrum ineuntis. Restat adhuc probare plurima exempla nationum existere, quae colore proprio superficiem corporis haud multum fuscam, id est, potius candidam, habent; regionesque orbis terrarum calidissimas habitant.

Si generaliter incolas regionum tropicarum lustremus, nihil reperiemus, quod ullo modo opinionem fulcire possit, diversitatem coloris permanentem esse coeli effectum. Tribus, quae regiones fluminibus Senegali et Gambiae vicinas in Africa habitant, inter se haud parum in colore et aspectu differunt. Aliae tribus profundè atrae sunt; dum aliae zonam terrae eandem habitantes, et sub ardore eodem solis viventes, sunt colore fulvo seu cupreo tinctae: hae vero neque labra spissa, neque crinis laneos reliquis earum gentium propria habent*. Numidae, qui regionem haud ita parvam calidissi-

* Vide Park's Travels in Africa.

mae partis Africae habitant, haud minus sunt insignes ob colorem cutis rubrum. Qui montes Barbariae incolunt, multa iis propria sunt valde diversa ab incolis partium inferiorum Mauritanis. Eorum color candidior est, moresque minus feroces. Multis in locis Americae Australis homines coloris subalbidi inveniuntur, qui cum Europaeis commercium nunquam habuissent; et nihilominus gentibus fusci coloris ad nigrum vergentis circumdantur. Color Mexicorum paulo nigrior est, quàm Indianorum, incolarum ex Quito, et Nova Granada, qui omnes coelum ubique simile possident *.

Porro, sunt innumera exempla, contrà, hominum ejusdem coloris degentium in coelo quàm maximè diverso proferenda. Haec testimonium nequaquam dubitandum praebent, quòd coelum cutem humanam colore indebili inficere nequeat. Similitudo coloris, quae apud nativas tribus occidentalis hemisphaerii est conspicienda, hoc esse verum satis confirmat. Coe-

* Vide Humboldt's Political Essay on New Spain.

lum hujus continentis, quae longissima patet, usque a gradu quinquagesimo sexto latitudinis australis ad regiones circuli arctici ignotas, omnem varietatem temperiei complectitur. Plurimae tribus hominum per hunc tractum maximum dispersae, quamvis multum differant in coelo, moribus, modo vivendi, ac consuetudine, ubique tamen eodem subrubro colore, exemptis accolis versus polos, praecipuè distinguendae sunt. Incolis zonae torridae idem color cupreus est, aequè ac iis, qui regiones magis temperatas habitant.

In eadem regione, ubi coelum vix, aut ne vix quidem variat, diversorum homines colorum non raro inveniamus. Plurima sunt exempla hujusmodi. Abyssinii, quamvis in eadem zona cum Æthiopibus siti, minimè tamen alii alios referunt. Horum color cutis, ut supra dictum est, subfuscus et albidus est, etiamsi a gentibus nigerrimi coloris ferè omnino cingantur. Si scrutari pergamus australem versus partem hujus maximae continentis, alia exempla non minus insignia, quae omnia hoc nos-

trum argumentum confirment, invenire potuerimus. Sic, qui in Caffraria nati sunt, iis color est maximè niger; dum color Hottentoti sub eodem sole ardente degentis, subflavus et fuscus est, aut similis comae languenti. Ex eo, quod a ROCHON describitur, valde patet, quatuor tribus diversas in insula Madagascare, quae maximam faciei colorisque varietatem habent, quibus plane distinguendas *.

Talia exempla multaque similia hoc probare valent, quòd varietas coloris ex coeli operatione non orta fuerit; alioquin haec physica generibus propria quàm maximè similia fuissent.

Scriptores, qui contendunt omnes in humanâ physiognomiâ per multa secula annorum mutationes ad coeli operationem attribuendas, ad testimonium historiae, ut sententiam suam confirment, confugere solent. Colchi, sicut aiunt, qui originem duxisse ab Ægyptis putantur, subnigri erant cum crine. “Eos,” HERODOTUS in Euterpe sic describit, “μελάγχροες καὶ οὐλοτρι-

* Vide Rochon's Travels in Madagascar.

“ $\chi\epsilon\varsigma$.” Nulla tamen gens tali specie in illis regionibus hodie invenienda est. Huic nobis respondere licet, quòd haec mundi pars multas res novas subierit : ex quo probare facile sit indigenas ejus regionis propter misturam cum aliis gentibus nigrum exuisse colorem. Multa quoque alia adduci possunt, huic theoriae minimè congruentia, nempè, quòd color generis humani a coelo originem ducit.

In Judaeis validissimo nobis argumento foret, colorem ne coelo quidem, aut loco, effectum esse. Hi populi per solum terrae latissimae sparsi sunt, et in omni fere regione degunt ; et, contra opinionem vulgo receptam, ubicunque a connubio cum aliis gentibus sese inhibuerint, colorem sibi et lineamenta propria semper retinent *.—Qui sub nomine *Gypsies* vocantur, ii nobis aliud argumentum dant, quòd minus consistit illi sententiae de colore variarum gentium ex viribus caloris aut frigoris in corpore humano, effecto. Hi similis originis signa minimè

* Vide Pritchard's Researches into the Physical History of Man.

dubia praebent, qui in Europam sub initio seculi annorum decimi tertii advenisse videntur. In quavis regione hae tribus palantes sedem habuerint, quaecunque iis propria et indigena, physica aequae ac moralia, eadem ipsissima remanent.

Hypothesi, quae varietates admodum insignes inter homines effectibus coeli attribuunt, variae rationes datae fuerunt, quarum aliae sunt praeposterae et absurdae.

Doctor SMITH sic opinatur abundantiam bilis in systemate sanguifero ex viribus caloris solventibus orientem, primò cutem colore subflavo tingere, qui in tropicis terrae tractibus in nigriorem abiit *. Mens hominis hypothesin rebus bene constitutis magis adversam, vix proponere potuerit.

Homines paulum nigri sanitate fruentes nulla signa praebent, quae fidem addant quod in secretionem hic humor nimius sit.

Multa exempla adducere possumus, quae de-

* Vide Smith's Essay on the Human Species.

monstrare valent physicas differentias inter homines ne cultui, moribus, aut viae vivendi quidem, ascribendas esse. “That colour,” ait KAMES, “is not occasioned by habits of living, or the state of society, we need no better proof than that the Gauls and Britons were in as savage a state, when invaded by the Romans, as the nations of Africa and America are now; and yet they were of the same colour as their descendants at this day*.”

De causa finali coloris nigri apud quasdam tribus, gentesque hominum, fortasse prorsus ignari sumus. Profecto putatum est atrum colorem cutis Nigrorum officio maximi momenti perfungi posse, in extrema temperiei molliendo, quae in calidis regionibus alioquin nimium valerent. Hoc non ex re, aut observando illatum est, sed ex facto bene noto, quòd ratio frigescendi in variis corporibus calidis potissimum de celeritate pendeat, quâ caloricum ejiciant. Hinc fuit reper-

* Vide Kames' Essays on Man.

tum corpora nigra caloricum facilius emittere, quàm aliter fierent : eorum igitur temperies celerimè redigetur. Haec autem hypothesis, nobis observare liceat, nequaquam sufficit ; quoniam scimus eas res quae caloricum celerrime ejiciant, vim quoque maximam absorbentem habere.—Ex iis suprà dictis de generis humani varietate sequentia inferri facilè possint, hypothesin ab iis vulgo receptam, qui consensum speciei humanae minùs congruere cum rebus notis atque probatis, asserunt ;—operationem causarum moralium et physicarum ad varietates primitivas apud homines proferendum minus valere ;—genus igitur humanum ex specie diversâ constare.

FINIS.



